

# CAPITULI GENERALIS ORDINIS CISTERCIENSIS

a die 30 mensis Augusti usque ad diem 11 mensis Septembris

anni Dominici 2010

in spiritualitatis domo cui nomen est *Mondo Migliore*

apud oppidum vulgo dictum *Rocca di Papa* celebrandi

## INDICTIO

\*\*\*

### MAURUS ESTEVA ALSINA

Divina miseratione Abbas Generalis Ordinis Cisterciensis

Ill.mo ac Rev.mo D.no Polycarpo Zakar, Abbati Generali Emerito

Rev.mis Dominabus Abbatissis ac Dominis Abbatibus

Congregationum Praesidibus

Rev.mis Dominabus Abbatissis ac Dominis Abbatibus monasteriorum

Pl. Rev.dis Priorissis ac Prioribus Conventualibus vel Administratoribus

Rev.do D.no Procuratori Generali

sedem vocemque in Capitulis Generalibus Ordinis habentibus

gratia vobis et pax

a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo.

\*\*\*

Indictio pro celebratione Capituli Generalis Ordinis anni 2005 sub die 26 Ianuarii eiudem anni lata est, id est ultimis temporibus pontificatus Joannis Pauli PP. II dum Generale Capitulum primis mensibus elapsis pontificatus Benedicti PP. XVI celebratum est.

Indictionis textus summatim in memoriam revocabat et res in novissimis decem annis perlongi et fructuosi Pontificatus pro vita Ecclesiae ac pro cultura gestas et quae Ordo Cisterciensis pari tempore fecit ad suam identitatem constabiliendam.

Uti notum est, in illo temporis spatio, decisiones magni momenti a Capitulis Generalibus anni 1968-1969 et sequentibus latae sunt pro vita Ordinis, quas accepimus a nostris praedecessoribus uti pretiosam hereditatem novis generationibus monialium ac monachorum tradendam necnon uti viaticum ad Ordinem Cistercensem ducendum ad tertium millennium.

Capitulum Generale Ordinis anni 2005, prae oculis habita optione pro juvenibus ab Abbate Generali pluries proposita, nova membra consilii Abbatis Generalis elegit ad eum adiuvandum in exercendo Ordinis regimine. Consilium Abbatis Generalis scripsit et litteras Praesidibus Congregationum ad Synodum XVI Ordinis parandum et litteras – quae revera pro exhortatione postsynodali habenda est – omnibus superiorissis ac superioribus maioribus monasteriorum Ordinis missas ad Capitulum Generale currentis anni parandum, quia Consilio Abbatis Generalis munere Commissionis praeparatoriae Capituli Generalis fungitur.

Tempus ab ultimo Capitulo Generali transactus, quod praesenti indictione concluditur, fuit pro Ordine Cistercensi tempus fidelis itineris in via iam patefacta.

Synodi Ordinis hoc temporis spatio celebratae operam naverunt ad plenam autonomiam – non agebatur vero de nova institutione – duarum Congregationum Ordinis, nempe Congregationis Regularis Observantiae Santi Bernardi in Hispania seu Castellae et Congregationis Purissimi Cordis B.M.V. seu Bohemiae, quibus, deficientibus monachorum monasteriis, Abbas Generalis Pro-Praeses vel Praeses a Sancta Sede constitutus erat.

Abbatissae Praesides praefatarum Congregationum interfuerunt Synodibus Ordinis, respective anni 2007 ac 2009, et relationem de statu Congregationis propriae legerunt.

In Synodis Ordinis nuper coadunatis peculiaris cura data est cursibus monasticae institutionis a Collegio Internationale Sancti Bernardi in Urbe propositis. Synodus anni 2007 statuit commendare apud Pontificium Athenaeum Sancti Anselmi in Urbe statum Instituti adnexi cursuum pro institutione. Auctoritates Academicae Pontificii Athenaei Sancti Anselmi, petitionem rite exhibitam acceptaverunt et ad Congregationem pro Institutione Catholica transmiserunt. Dicasterium statuit consociationem Collegii Internationalis Sancti Bernardi cum Pontificio Athenaeo Sancti Anselmi, concessa facultate assequendi, servatis servandis, Diploma in Monastica Institutione.

His prae oculis habitis, de consensu Synodi XVII Ordinariae Ordinis, Romae in aedibus Curiae Ordinis nostri a die 29 Septembris ad diem 4 Octobris anni nuper elapsi habitae, hisce litteris Generale Capitulum Ordinarium Ordinis Cisterciensis

**indico**

in spiritualitatis domo cui nomen est *Mondo Migliore* apud oppidum vulgo dictum *Rocca di Papa* (Casa "Mondo Migliore, Padri Oblati di Maria Vergine, Via dei Laghi, Km. 10, I-00040 Rocca di Papa, RM – tel. 0039/06/94187 - fax 0039/06/9497673 mondomigliore@mondomigliore.it - www.mondomigliore.it) diebus 30 mensis Augusti – 11 mensis Septembris currentis anni celebrandum.

\*\*\*

## Materiae a Capitulo Generali Ordinis tractandae:

### A. Relationes

1. Relatio Abbatis Generalis de statu Ordinis;
2. Relatio Abbatissarum et Abbatum Praesidum de statu propriae Congregationis;
3. Relatio Procuratoris Generalis Ordinis de activitate Procurae Generalis;
4. Relatio de actuositate Secretariatus pro Liturgia.

### B. Electiones

1. Electio Abbatis Generalis;
2. Electio Procuratoris Generalis;
3. Electio quinque Patrum Synodaliū eorumque trium Substitutorum;
4. Electio quinque Matrum Synodaliū earumque trium Substitutarum;
5. Electio sex membrorum Consilii Abbatis Generalis – ex quibus quattuor monachi et duae moniales – et respective duorum substitutorum et duarum substitutarum;
6. Electio Secretarii Secretariatus pro Constitutionibus examinandis.

### C. Alia themata

1. Directorium pro Visitoribus monasteriorum (Relator: Abbas Praeses Vladimirus Gaudrat);
2. Directorium pro familiaribus Ordinis (Relator: P. Procurator Generalis);
3. Quaestiones iuridicae (Relator: P. Sebastianus Paciolla, Subsecretarius Congregationis Vitae Consecratae);

4. De tributo (Relator: P. Procurator Generalis)

5. De cursu formationis monasticae (Relator: P. Prior Lucas Torcal)

6. Addenda pro nunc non praevisa.

Linea subnotandum est omnes moniales vel monachos professos Ordinis ad Secretarium Capituli Generalis optata sua et suggestionem pro Capituli Generalis celebratione libere mittere posse.

\*\*\*

Ad elenchum Capitularium parandum, Abbatissae et Abbates Praesides enixe rogantur ut nomina Delegatarum vel Delegatorum propriae Congregationis, iuxta art. 55 b) Constitutionum Ordinis electorum, ante diem 28 martii currentis anni Secretario Capituli Generalis communicare velint.

Simili modo iuxta art. 55 c) Constitutionum Ordinis, ad eligendas Delegatas monasteriorum monialium Ordini directe incorporatorum, singulae communitates per scrutinium secretum nomina dare debent. Superiorissae dictorum monasteriorum ante praefatam diem ad Secretarium Capituli Generalis protocollum capituli conventualis mittere debent ad suffragiorum computationem faciendam in proximo Consilio Abbatis Generalis.

Omnibus Delegatis legitime in officio constitutis praesens indictio tempore opportuno mittetur.

\*\*\*

Hisce praemissis, auctoritate qua fungor, omnes et singulos iuxta art. 55 Constitutionum Ordinis jus habentes

convoco


ut ad spiritualitatis domum cui nomen est *Mondo Migliore* die 30 mensis Augusti anni 2010, quae est feria secunda, concurrant.

Die 31 mensis Augusti, hora octava cum dimidio, ientaculo perfecto, omnes Matres ac Patres capitulares in aula Capituli informationes accipient de modo utendi electronicum systema pro scrutiniis ac de simultanea translatione.

Hora vero nona cum dimidio in ecclesia principali dictae spiritualitatis domi missa sollemnis votiva de Spiritu Sancto celebrabitur, omnibus capitularibus praesentibus vel concelebrantibus.

Hora decima prima sessio inauguralis Capituli Generalis locum habebit.

Gratias agentes Patri in Spiritu Sancto propter salutis donum in Christo Domino, pro laboribus Capituli Generalis oremus ut, Beata Maria Virgine Ordinis Cisterciensis Patrona intercedente, gratiam agendi in caritate et veritate ad salutem animarum ac ad bonum Ordinis nostri Deus nobis semper concedere valeat.



Maurus Esteva Alsina

Abbas Generalis Ordinis Cisterciensis

Datum Romae, ex aedibus Curiae Generalis Ordinis,

die 26 Ianuarii anni Dominici 2010

in Sollemnitate Sanctorum Roberti, Alberici et Stephani

Cistercii Fundatorum